



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. In quibus causis juramentum deferri possit vel etiam debeat, sive à parte sive à Judice, & in quibus non possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Virum, cum à Iudice, ob inopiam probationis, in causa dubia iuramentum deferretur, illud Reo ad purgationem sui sive innocentiam suam demonstrandam, an verò Actoris in supplementum probationis deferri debeat?

Non potest certa regula generalis hac in re tradi, sed Iudicis arbitrio ex inspectis prudenter circumstantiis res relinquenda est. Uti colligitur *ex cit. c. Inramentum §. sane h. t.* ordinariè quidem, & ceteris paribus reo potius deferendum erit à Iudice iuramentum, si actor probavit causam suam semiplenè, cum favorabiliores sint Rei partes, qui etiam sine iuramento absolvendus est saltem ab hac instantia, si actor nihil probavit: si tamen actor semiplenè probavit, nihil contra eum probante, sed tantum negante reo, iuramentum deferretur actori, qui de iure suo probavit aliquid, cum alter nihil probaverit. Plura tamen attendere debet Iudex in hoc iuramento deferendo. Primò, ut fiat præmissa causæ cognitione. Secundò ut actor semiplenè probaverit. Tertiò ne deferatur hoc iuramentum ei, qui cognitionem rei non habet. Quarò ut is, cui deferretur, non sit persona vilis aut infamis, sed fide digna, & honesta, nec suspecta de perjurio. Quinò ut causa non sit ardua, & magni momenti, in qua non deferretur iuramentum hoc: &c. Posito tamen, quòd actor plenè probavit per duos testes v. g. omni exceptione majores suam intentionem, reus tamen per unum testem contrarium semiplenè probet, non poterit reo in supplementum probationis plenè

deferri iuramentum, quia actoris plena probatio dedit semiplenam probationem Rei.

§. III.

In quibus causis iuramentum deferri possit, vel etiam debeat, sive à parte, sive à Iudice. Et in quibus non possit?

In omni causa, in qua licitum est transigere, potest etiam à parte parti deferri iuramentum voluntarium, quia tale iuramentum vim transactionis habet: necessarium verò iuramentum à Iudice in supplementum probationis ad petitionem Actoris Reo deferri potest in quavis quidem causa, ob *L. in bona fidei 3. Cod. de Reb. cred.* Excipiuntur tamen primò causæ criminales, in quibus potest quidem Iudex nonnunquam reo, ad probandam suam innocentiam iuramentum deferre, si actor non sufficienter probavit crimen, nunquam tamen actori seu accusatori in supplementum probationis, cum in tali casu, si criminaliter agatur, debeant esse probationes luce meridianà clariores *Leg. ult. Cod. de probat.* Excipiuntur secundò Causæ famosæ, & arduæ, quamvis his in causis multum possit Iudicis arbitrium. Tertiò excipiuntur causæ matrimoniales, in quibus regulariter iuramento suppletorio locus non est.

§. IV.

An, non solum ad petitionem partis, sed etiam eà non petente, iuramentum suppletorium deferri possit à Iudice, Et de tempore, quo illud deferendum est.

Ad primam quæstionem *R.* non tantum posse Iudicem hoc facere *ex officio*